tione caelesti. quae nos non solum filios dei fieri. sed etiam heredes et
participes cum christo aeterni efficit regni. si mundo et casto corde et corpo
re in bona uoluntate dominum christum imitare uolumus. tamen patrem car
nalem et matrem. de quibus secundum carnem nati sumus. honore de
bito in his quae domini nostri iesu christi non sint contraria uoluntati. cum
omni fideli seruitio et oboeditione. debemus honorare. Si autem ab his
quae domini sunt praecepta nos retrahere uel inpedire uoluerint. tan
tum quod nostrum est faciamus. si ad fidem eos et ad christi concordiam
non ualemus ammonendo et excortando perducere. abscidamus eorum
a nobis inpedimentum. secundum ipsius domini euangelicum praeceptum. Si ocu
lus tuus dexter. aut pes. aut manus scandalizat te. erue eum et pro
ice abs te. Et alibi. qui amat patrem aut matrem plus quam me. non est me
dignus. Tali igitur consideratione et honore dei uel parentum. cumul
arum augmentatione uirtutum. uitam quisque aeternae beatitudinis po
test promereri. Unde subditur. ut bene sit tibi et sis longeuus super
terram. quam dominus deus tuus dabit tibi. Non etiam bonum hic praesens talibus
promittitur. nec etiam longeuitas terrenae uitae. sed etiam beatitu
dinis sempiternae. quam dominus in euangelio mitibus repromittit. in qua
iusti et electi dei habitabunt in saeculum saeculi. De qua et psalmista dicebat.
Credo uidere bona domini. in terra uiuentium. id est aeterna bona quae pre
parauit deus his diligunt eum. Nam de supra dicto honore qualiter
custodiri debetur. paucis uerbis ostenditur cum subditur. Non occi
des. non mechaberis. non furtum facies. non loqueris contra proxi
mum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui.
nec desideres uxorem eius. non seruum. non ancillam. non bouem. non
asinum. nec omnia quae illius sunt. Qui autem haec obseruauerit cor
poraliter et spiritaliter. recte deum patrem et matrem ecclesiam ho
norat et ueneratur. et premia pro his regni caelestis meretur per
cipere. qui autem aliquid horum commiserit. recurrat cito ad

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc427/0076